

7	Callem Vicum	M. P.	XXIII.
8	Forum Sempronii	M. P.	XVIII.
	Fanum Fortunæ	M. P.	XVI.
	Pisaurum	M. P.	VIII.

Quæ conficiunt M. P. omnino CLXXXVIII., quot Româ distasse Pisaurum, evidenti Columnæ nostræ testimonio deprehenditur. Huic aliud adjungere possemus ex Inscriptione Fanensi petito, olim a Grutero pag. CCLXXIX. 2. nuper in Collectione Donianâ Clas. II. 107. editâ; Sed descriptorum incuriâ corruptus numerus prius est restituendus. Ea Inscriptio in Columnâ rudi habebatur; vel ex hoc milliariam fuisse intelligas. Diocletianus, & Maximianus Augg. Constantius, & Maximinus Cæss. laudantur: post duas lineas vetustate consumptas ita clauditur Inscriptio ROM. C. XCI.; tres enim versiculi, qui in Collectione Donianâ adduntur, alterius sunt Inscriptiois, illius nempe, quæ in fronte arcus visitur adhuc, & a Grutero vulgata est pag. CLXII. 2. Profecto si Inscriptio prope dictum Arcum inventa fuit, ut olim audisse memini, non dubito fuisse in eâ olim A. ROMA. CXXXI. primum autem X ætate exesum a Smetio, ex quo Gruterus illum edidit, neglectum fuisse omnino, a Manutio vero, ex cuius schedis in Collectionem suam intulit Donius, post centenarium numerum C punctum substitutum fuisse. Hoc pacto Fanensis Columellæ numero emendato, ea cum nostrâ itidem Columellâ plane concordabit. Si enim octo milliaria, quibus Fano Pisaurum distat, illis CXXXI, quæ profert Fanensis Inscriptio, addas, erunt porro ab Urbe Pisaurum M. P. CLXXXVIII., quot vere fuisse ex Columellâ nostrâ deprehenditur.

Illud Insuper adnotandum est, quod nempe antiquior alia Inscriptio in hac eadem Columellâ erasa fuit, ut illi quæ Valentiniano, & Valenti dicata est, locus fieret. Indignum sane facinus, quod nollem Veteres nostri fecissent, ne recentiores ea, quæ quotidie in verusta monumenta sæve committunt, antiquo aliquo exemplo tueri possent. XXVII.

7 Ita emendationes Antonini editiones Swita, & Bertii: in alias enim vetustiores tercia decussis inreplevat. Partim differt Hierosolymitanum, in quo tamen emendandus est titulus Mu. adheis in mutatio ad Ensem, ut expresse habent Tabula; in his quoque corrupte scribitur ad Calcem pro ad Callem. Numeros jampridem Holstenius emendavit.

8 Ita omnes Antonini Editiones, & Hierosolymitanum, in quo habetur

Mu. Intercifa VIII.  
C. Foro Simpronii IX.

Variant Tabula, sed corruptos esse numeros nemo non videt. Reliqua satis plana sunt, nec ampliori indigent commentario.